

NOTIO ET EFFECTUS CENSURAE AB HOMINE

I. STATUS QUAESTIONIS

1. 'Censura est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur' (can. 2241). Unde censura est species quaedam poenae ecclesiasticae. Poena vero ecclesiastica ratione auctoris dividitur in poenam *a jure*, 'si poena determinata in ipsa lege statuat, sive latae sententiae sit sive ferendae' et in poenam *ab homine*, 'si feratur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicalem condemnatoriam, etsi in iure statuta' (can. 2217, § 1 n. 3°).

Nostra hic tantum interest disserere de notione censurae ab homine eiusque effectibus. Quaestio non est parvi momenti, nam ex recte tradita notione censurae ab homine pendet recta explicatio et applicatio eiusdem praecipui effectus, qui est reservatio.

2. Notio ante Codicem communissima

Ante Codicem nomine censurae ab homine venire solebat censura etiam latae sententiae, comminata seu constituta per praeceptum particulare, sive declarata fuerit sive non, necnon censura inflicta per praeceptum vel per sententiam iudicalem condemnatoriam. Unde tres erant modi censurae ab homine, scilicet:

- (i) censura statuta a Superiore per modum praecepti peculiaris. Etiam ipso facto contracta et nondum declarata, talis censura dicebatur esse ab homine;
- (ii) censura ferendae sententiae in iure statuta et inflicta seu irrogata per modum praecepti extraiudicialis;
- (iii) censura ferendae sententiae in iure statuta et inflicta seu irrogata per modum sententiae iudicialis condemnatoriae.

3. Terminologia Codicis

In Codice confusionem quandam parit vel saltem parere videtur usus verborum non sibi constans. Etenim:

(a) In can. 2245, § 2 Codex supponit omnem censuram ab homine esse reservatam; tamen in § 4 eiusdem canonis statuitur non omnem censuram praecipuo latem reservari. Iamvero iuxta communioem ante Codicem sententiam, uti iam innuimus, censura praecepto particulari lata seu statuta considerabatur censura ab homine (i.e. etiam sine inflictione seu irrogatione).

(b) Codex diversis in locis mentionem facit de praecepto peculiari; nullibi vero de praecepto communi vel per modum seu ad instar legis. Quod tamen supponi videtur a legislatore.

(c) *Ferre* censuram per se et communiter significat *comminari* censuram, i.e. censuram tamquam sanctionem legi vel praecepto adnectere.

His praemissis statim apparet difficultas quam praebent verba can. 2217, § 1 n. 3^o: 'si *feratur* per modum praecepti peculiaris'. Etenim si verbum 'ferre' in illo canone idem significat ac 'comminari', tunc:

(i) admittenda est contradictio in can. 2245; et

(ii) praeceptum particulare aequiparatur iuri seu legi.

E contra si verbum *ferre* in citato canone significat 'infligere' tantum, tunc fatendum erit Codicem mutationem invexisse in notionem censurae ab homine.

Quaecumque interpretatio adhibeatur, quidam textus tamquam non accurate redacti habendi sunt.

II. SOLUTIO QUAESTIONIS

Tres sunt a canonistis propugnati modi solutionis.

1. Prima solutio, vestigia premens iuris veteris, iuxta quod censura latae sententiae praecepto peculiari adnexa, etiam post delictum prorsus occultum contracta, inter censuras ab homine recensebatur, apparentem contradictionem can. 2245 solvere conatur, sustinendo in § 4 illius canonis agi non de praecepto particulari sed de praecepto communi, quod etiam in antiquo iure a pluribus auctoribus legi assimilabatur, ita ut censura lata per praeceptum commune tamquam a iure haberetur¹.

Critica. Immerito talis explicatio profertur, nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Codex enim in can. 2245, § 4 mentionem facit de praecepto absque ulla distinctione; en ipsa verba: 'Censura latae sententiae non est reservata, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur;...' Praeterea Codex nullibi sermonem facit de praecepto communi. Item haec solutio explicare non valet cur can. 2244, § 2 et § 3 censura latae sententiae et censura ab homine opponantur.

2. Collison² aliam proponit solutionem, scilicet, Codicem mutationem introduxisse non in notionem censurae ab homine sed in disciplinam, eo sensu quod, contra fere unanimem doctorum ante Codicem sententiam,

¹ P.J. Creusen S.J., qui hanc explicationem, cum quibusdam aliis canonistis, primo tempore proferebat, suam sententiam postea mutavit in favorem tertiae sententiae, infra tradendae, quae hodie dici potest communis. Cf. Vermeersch-Creusen, *Epitome Iuris Canonici*, III, ed. 4a et 5a, nn. 406, 442.

² Cf. P.J. Collison, C.S.S.R., *Non omnis censura ab homine est reservata*, Lovanii, 1936.

censura latae sententiae per praeceptum comminata, etsi sit ab homine, amplius non reservatur.

Critica. Haec solutio non explicat alios canones; immo novas crearet, si admitteretur, difficultates, nimirum:

(i) admittendum esset in can. 2244, § 2 et § 3 non agi de omnibus censuris latae sententiae neque de omnibus censuris ab homine respective; quod satis mirum esset;

(ii) deberet hoc modo intelligi can. 2245, § 2, scilicet: si censura ab homine reservatur, tunc... Quae interpretatio est omnio arbitraria.

3. Tertia solutio, proposita a Cappello³, Michiels⁴, Tabera⁵ et aliis admittit mutationem notionis poenae ab homine introductam esse a Codice. Iuxta hanc solutionem, verbum 'feratur' (can. 2217, § 1 n. 3^o) idem est seu significat ac 'infligatur' seu 'irrogatur', quod probatur ex eo quod idem verbum adhibetur pro 'per modum praecepti' et 'per sententiam condemnatoriam'. Atqui relate ad sententiam condemnatoriam verbum illud non potest aliud significare quam 'infligere'. Ergo eadem significatio applicanda est etiam relate ad praeceptum, ne duplex significatio unius eiusdemque verbi in eadem phrasi admittatur. Sequitur igitur poenas latae sententiae, contra ac in iure veteri, numquam esse ab homine, ideoque notionem poenae ab homine revera mutatam esse.

Meritum huius solutionis. Hoc modo optime explicatur can. 2244, §§ 2 et 3, quibus censurae latae sententiae opponuntur censuris ab homine. In iure antiquo hae non poterant opponi, propterea quod censura latae sententiae in praecepto particulari contenta seu praecepto particulari adnexa erat ab homine. Item disparet contradictio ex can. 2245, nam dum omnis censura ab homine (sensu novo explicata) est reservata, censura latae sententiae non reservatur, nisi in praecepto id expresse dicatur. Meritum igitur huius solutionis est quod nullam in citatis Codicis locis contradictionem admittit et plures textus sat bene explicat. Quapropter nos ei adhaeremus.

III. CONCLUSIO

Ut clarius notionem censurae ab homine tradamus, haec ex P. Cappello mutuamur:

'Proinde etiam per praecepta poenae possunt constitui sive latae sive ferendae sententiae. Quae poenae statutae per praeceptum, sive generale sive particulare, habendae sunt tamquam a iure, antequam irrogentur;

³ Cf. *Nouvelle Rev. Theol.*, 1920, 525.

⁴ Cf. *De Reservatione Censurae*, etc., in *Ephem. Theol. Lovan.* 1927, 180, n. 613 ss.

⁵ Cf. *Illustracion del Clero*, 1931, 195 ss, 227 ss.

post factam irrogationem, si sint latae sententiae, manent tamquam a iure; si, contra, sint ferendae sententiae, ex inflictione seu applicatione actu facta, fiunt ab homine.

'Praeter censuram latam per sententiam iudiciale[m] condemnatoriam, quae semper et necessario est ab homine, ut censura inflict[a] per praeceptum dicenda sit ab homine, istae condiciones practice requiruntur: (a) praeceptum debet esse particulare, scil. respiciens certam ac determinatam personam; (b) censura debet actu infligi vel applicari; (c) debet respicere delictum praeteritum seu iam commissum et quidem cum comminatione talis censurae, secus desset contumacia'⁶.

IV. EFFECTUS CENSURAE AB HOMINE

Tradita notione censurae ab homine, eius effectus iam possumus enumerare, qui diversis in locis a Codice statuuntur. Qui effectus sunt modus multiplicationis et praecipue reservatio.

1. Multiplicatio

Aliter ac censura a iure, censura ab homine multiplicatur 'si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant' (can. 2244, § 3).

2. Reservatio

Censura ab homine, proprio et vero sensu dicta, iuxta notionem supra expositam, est semper et necessario reservata ex ipsa sua natura. Sane can. 2245, § 2 manifeste distinguit inter censuram ab homine latam per sententiam iudiciale[m] condemnatoriam et censuram inflictam per praeceptum, et utramque esse reservatam claris verbis statuit: 'Censura ab homine est reservata ei qui censuram infligit (i.e. ad modum praecepti particularis, scripto vel coram duobus testibus; cf. can. 2225) aut sententiam tulit (i.e. per sententiam iudiciale[m]), eiusve Superiori competenti vel successor[i] aut delegato'.

Et quidem reservatio vim suam retinet etiam extra territorium Superioris censurae infligentis, affirmante can. 2247, § 2: 'censura vero ab homine est ubique locorum reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debit[is] facultatibus possit'.

Extra mortis periculum absolutionem concedere potest ille dumtaxat 'cui censura reservata est ad normam can. 2245, § 2; ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit' (can. 2253, 2^o). Immo extra mortis periculum reservatio ita urget ut si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem ab ea absolvat, invalide agit. Sub hoc respectu censura ab homine aequiparatur

⁶ *Tractatus Canonico-Moralis De Censuris*, ed. 4a, n. 6.

censurae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatae (cf. Can. 2247, § 3). In periculo autem mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non adprobati, valide et licite absolvunt etiam a censura ab homine (cf. can. 882). Tamen in hisce circumstantiis absolutus tenetur, si et quando convalescit, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae in censuram, ad illum qui censuram tulit (i.e. irrogavit vel infixit) eiusque mandatis parendi (can. 2252).

V. PRACTICA APPLICATIO

Quare, in praxi, si Superior (e.g. Episcopus) imponit subdito (e.g. Caio sacerdote) praeceptum peculiare cum adnexa censura latae sententiae (e.g. prohibitionem frequentandi aliquam domum suspectam sub poena suspensionis ipso facto incurrenda); talis censura, iuxta expositionem supra breviter traditam, aequiparatur censurae a iure non vero censurae ab homine. Unde si subditus sciens et volens praeceptum Superioris violat, censura quam incurrit, aliter ac in iure veteri, non erit reservata, nisi Superior eam comminando cum praeceptum imponeret sibi expressis verbis eam reservaverit.

C. MUSCAT